



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput VII. De interioris fidei ad salutem necessitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

bum traditum, nec scriptum servatum esse fateberis; nam ut illud disperdi in auribus, & linguâ vitari potuit, ita istud potuit amanuensis adulterare, tinea corrodere, ignis incendere, & injuria temporum depravare. Si providentiam curamque illam confitearis; illâ utrumque Verbum, Scriptum ac Traditum servatum est. Adde singularia Traditionum adminicula, perpetuum Ecclesiæ usum, successionem Episcoporum, Conciliorum canones, scripta Patrum: quibus ea quæ transeunt de aure in aurem firmantur moribus fidelium, consuetudine, disciplina, præceptionibus, & munimentis literarum, ut deleri non possint oblivione. Scitum Pythagoræ, ut discipuli responderent, *Ita visum Magistro*, etiam Christifidelis probat dum hanc dogmatum suorum rationem profert, *Ita tradiderunt Apostoli*;

& nisi hæc ratio sit inculpabilis, in recipiendis quoque Scripturis est irrationalis & rusticus, quippe illarum canonem definiit Ecclesiæ: sed absit, ut id effutiamus; cum ad credendum Ecclesiæ certa nos pertrahant momenta, quæ non habebat ad credendum Pythagoræ juvenis Atheniensis. Vide hujus libri cap. 111. & v. In 11. demonstrata est falsa Saracenorum Religio: quæ una cum omnibus hæresibus etiam ex hoc refutatur; quoniam figmentum humanum est quicquid antiquæ Traditioni adversatur. Verum hæc disputatio concludi jam potest; nam satis ostendimus servandum verum morem, & perantiquum dogma,

Quod semel invecum est Majorum TRADITIONE,

inquit in Carmine Eucharistico Paulinus.

C A P U T VII.

De interioris fidei ad salutem necessitate.

S U M M A R I U M.

1. De Necessitate fidei ad salutem.
2. Requiritur in adultis fides interna.
3. An fides explicita tam ad justificationem, quam salutem necessaria.
4. Propositio 1.

5. Probatur.
6. 7. & 8. Solvuntur Objectiones.
9. Propositio 2. Probatur.
10. Propositio 3. Probatur.
11. Usque 15. Solutio Objectionum.

I.
De Necessitate fidei ad salutem.

C O N T R A Ebionæos, Arminianos, Libertinos, aliosque hujus farinae homines quarto hujusce libri capite demonstravi veram non esse Fidem aut Verbi Divini Incarnationem, aut individuum Trinitatem negantium. Nunc inquirimus, an hæc fides ita ad salutem sit necessaria, ut qui ejus inculpabili ignorantia laboraret, eam tamen haberet in animi preparatione, quamvis hæc mysteria non profiteretur *explicite*, adhuc salutem sempiternam consequeretur. Nam qui in Ecclesiæ gremio nutritur, & sensum pollet integritate, si mysteria hæc negligat, neque gratia Sacramentorum, neque gloria, ob voluntarium negligentiam crimen, donari compertum est. Imo huic Ecclesiastico jure præscribitur, ut etiam memoriâ teneat Symbolum, Decalogum, & Orationem Dominicam: *Nescio enim qua fronte se Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo, vel oratione Dominica parare dissimulat*; inquit Sermon. 265. num. 2. Ap. Augustinus, aut Cæsarius. In cæteris servandi canones Cap. xi. lib. xxi.

2.
Requiritur in adultis fides interna.

Haud dubium est, quin in adultis requiratur fides interna; cum scribat Apostolus ad Rom. x. 10. *Corde enim cre-*

ditur ad justitiam, & ad Hebr. xi. 6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo*: cum insuper hæc fides necessaria sit ad justificationem, ut definit sess. 6. cap. 6. & 8. Synodus Tridentina, & nos demonstravimus Tom. 111. pag. 313. Neque potest id de fide exterius tantum expressa intelligi, quoniam Apostolus præcipit fidem *cordis*, Tridentina Synodus fidem, qua *libere*, animoque *moveamur in Deum credentes quæ divinitus revelata, & promissa sunt*: neque Deus attendit sermonem oris, sed voluntatis affectum. Deberet quidem hæc fides in nobis continua esse, & si non actu, virtute; ut omnia opera in Dei cultum, ac in finem ultimum referrentur, ideoque excitanda est actuum frequentatione: hi saltem repetendum Sacramenta recipiuntur, maxime Eucharistia, dum urget adversus fidem tentatio, dum solemnî ritu ab Ecclesiâ recoluntur sacra mysteria; nec memoria excidat, quod Scriptura ait; *Justus autem meus ex fide vivit*: ad Rom. i. 17. An fides explicita tam ad justificationem, quam salutem necessaria sit, inquirimus.

Igitur de hac interna fide quærimus, an ita debeat esse *explicita*, ut necessitate *medii* ad salutem necessarium sit, *cre-*

credere Deum unum, ac Trinum, & Verbum Deum & hominem pro nobis crucifixum ac mortuum. Illud autem dicitur à Theologis neceſſarium neceſſitate *medii*, ſine quo ſinis nulla ratio- ne poteſt haberi, ut baptiſmus, ſive martyrium puerilis, Sacramentum pœ- nitentiæ adultis poſt lapſum; quemad- modum appellatur neceſſarium neceſſi- tate præcepti, quod adhiberi debet, quando id fieri poteſt; at ſi non poſſit, ſat eſt votum ac deſiderium, ut adultis ſacramentalis. Confeſſio, Communio, jejunium, Sacrum. Inſtituitur vero quæſtio tam de veteris, quam de legis Evangelicæ ſtatu, & de hoc quidem an fides explicita tam ad juſtificationem, quam ad ſalutem neceſſaria ſit; ſunt enim qui ad ſalutem illam requirunt, ſed ad juſtificationem non aliam fidem, quam Dei auctoris gratiæ, ſine explicita Incarnationis ac Trinitatis exigant. Tri- bus ergo theſibus quæſtio univerſa con- cluditur.

PROPOSITIO I. In veteri Testamen- to neceſſaria erat fides Mediatoris, ſed non *explicita* in ejus divinitatem, ac in- dividuæ Trinitatis Myſterium.

Probatur I. Demonstratur I. ex Apoſtolo ſcriben- te ad Galat. 111. 12. *Quoniam autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, maniſeſtum eſt; quia juſtus ex fide vivit: & ad Hebræos xi. 2. In hac enim testi- monium conſecuti ſunt ſenes.* Proſecto loqui Apoſtolum etiam de fide Media- toris liquet ex cap. 111. Epist. ad Ro- manos, ubi verſu 22. inquit: *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio.* Et de hac fide pau- lo infra: *Unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præutium per fidem.* II. Probatur ex D. P. Au- guſtino, qui Epistola 157. ad Hilarium num. 14. inquit, *etiam antiquos juſtos habuiſſe ipſum ſpiritum fidei, hoc eſt In- carnationis Chriſti.* De Catechiz. ru- dibus 28. *Ipfum antiqui ſancti ventu- rum in revelatione ſpiritus cognoverunt, & prophetaverunt: & ſic ſalvi facti ſunt credendo quia veniet, ſicut nos ſalvi eſſicimur credendo quia venit: & de Nat. & Grat. cap. 44. num. 51. Ea quippe fides juſtos ſanavit antiquos, quæ ſanat & nos, id eſt, mediatoris Dei, & ho- minum hominis Jeſu Chriſti, fides ſan- guinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis, & reſurrectionis ejus.* III. Confirmatur ratione, nam fides eſt una, & unum ſpi- ritum ingenerat, eandem ſalutem affert, & ab exordio generis humani fuit ſemper una & invariata, ut idem S. Pater com-

monſtrat in Epistola ad Deogratias c. 11. xi. 1. ad Optatum exc. 6. & in Pſal- mum l. 17. Hoc loci aliam rationem S. Pater indigitat, quia nemo ſine Chri- ſto ſalvari potuit. Videſis Act. Apoſt. xv. 12. & quæ ſcripſimus cap. 4. hujus libri.

At non fuiſſe neceſſariam fidem *ex- plicitam* divinitatis Chriſti liquet I. ex Apoſtolo ſcribente ad Hebræos x. 1. Je- gem habuiſſe *umbram futurorum bono- rum*. II. ex Auguſtino ſcribente ad Dar- danum Epist. 187. cap. xi. num. 34. *Erat tamen antiquis juſtis aliquod oc- cultum, cum tamen & illi eadem fide ſal- vi fierent, quæ fuerat ſuo tempore reve- landa.* III. ex diſcrimine utriusque Te- ſtamenti, in quorum primo myſteria, quæ nunc ſunt revelata, legalium invo- lucris tegebantur.

Opp. adverſus primam partem. At qui lege deſtituti erant? Hi per rationis lumen abſque ulla fide legem implebant, ideoque ſalutem conſequebantur. Id affirmat Apoſtolus ad Rom. 11. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* Confirmat Joannes in Apocalypſi vi. 1. 9. connumerans præter Judæos turbam magnam, ex omnibus gentibus, & tribubus, & po- pulis, & linguis. Aſſerit & Clemens Alexandrinus inter electos recensens in 6. Strom. Græcorum Philoſophos præſtan- tiſſimos.

Reſp. eos, qui lege deſtituti erant, niſi ſingulari beneficio ſupernum illis lumen aſſulit, periſſe. De Verbis Apo- ſtoli in 2. ad Romanos plura diximus Tom. 111. pag. 254. & 263. nec ne- ceſſum eſt ea repetere. Abſque fide exerceantur aliquando officia virtutum, at non quæ vitam ſempiternam prome- reantur; & Apoſtolum loqui de Gentibus ad fidem converſis demonſtrat Au- guſtinus de Spiritu & lit. cap. xxvi. num. 44. & ſeqq. De iſdem Gentibus, quæ ſunt ſpolia Iſraelitarum, & linguis, populisque ſeſunctæ, ſit ſermo in Apo- calypſi, ut recte idem Auguſtinus in 111. de Doctrina Chriſti. cap. xxxv. num. 51. Ipſe enim ſimul cum electis Judæorum conſtituunt Sanctorum univerſitatem, de quibus eodem cap. 7. Apocalypſeos v. 14. *Laverunt ſtoſas ſuas, & dealba- verunt eas in ſanguine Agni.* Clemens Alexandrinus docet tantum Gentilium philoſophorum aliquos divinitus luce fidei illuſtratos, quamquam extra Ju- dæorum fines, ſalutem fuiſſe conſecu- tos, quod & Origenes, & Chryſoſto- mus alicubi docuerunt; ſed Gratiam fidei cuique neceſſariam Clemens affir-

8.
unibido
5. 1. 1.
Probatur 2.
fidem explic-
itam Divi-
nitatis Chri-
ſti non fuiſſe
neceſſariam.

6.
Obicitur
contra pri-
mam par-
tem.

7.
Solutio.

unibido.

mat

mat in 11. Strom. pag. edit. Morelli 364. & Chrysost. hom. 2. in Epistolam ad Rom. pag. edit. Commel. 22. Idem disertissime Origenes lib. 4. in Epist. Pauli pag. edit. Frobenianæ 387.

8. **Obijciunt contra 2. partem, & respondetur.** Adversus 2. partem obijcies. Sacerdotes Math. xxvi. 63. Christum interrogarunt, *Dicas nobis si tu es Christus filius Dei?* Nathanael Joan. 1. 49. ait: *Tu es filius Dei.* Martha Joannis xi. 27. *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quomodo nisi *explicitè* in Christi divinitatem Judæi credidissent, tam singularis confessio? Estius in dist. 25. lib. 3. §. 4. respondet fortassis Nathanaelem non intellexisse *filium naturalem*; censendum quippe est aliquid minus enuntiasse, quam Petrus Matthæi xvi. 16. Probo responsionem Estii: de Nathanaele namque idem scribit Augustinus Tract. vii. in Joan. num. 20. Aliter asserendum de Martha cum eodem D. Patre Tract. xlix. num. 15. Sed hæc pia mulier quamdiu à Domini ore pependerit? Caiphas hæcne à semetipso dixit? Si id putas, dico aut principi Sacerdotum aliquid manifestum quod plebs ignorabat, aut illum commemorasse attributum à Patribus Messiae characterem non tamen sibi plane compertum. Si afflatu Divino locutus est, ut dum ait Joan. xi. 50. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo*; nil urget opposita argumentatio.

9. **PROPOSITIO II.** In hoc novæ legis statu necessaria est ad salutem fides *explicita* Dominicæ Incarnationis, ac Trinitatis.

Probat. Quod hæc fides necessaria sit demonstratum est supra c. iv. p. 223. idemque firmatur precedenti propositione. Quod vero hæc fides debeat esse *explicita* probatur primo ex Scripturis; nam Marc. xvi. 15. legitur: *Euntes in mundum universum prædicite Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur.* Evangelium autem fidem *explicitam* Incarnationis ac Trinitatis insinuat, eamque fidem Matth. ultimo vers. 19. profiteri debemus in suscipiendo baptismo, sine quo Dei regnum non obtineri affirmat Dominus Joan. iii. 3. Deinde confirmatur ex Augustino, qui Epistola 157. num. 24. ait: *Postea vero quam magnum pietatis sacramentum manifestum est in carne, & vocandis omnibus Gentibus Christi adventus illuxit, in quem & illi Patres crediderant, sed hujus fidei olim suo tempore manifestandam, in illius arboris, de qua Apostolus loquitur, tan-*

quam radice servabant, &c. Ac Epist. 177. num. 12. *Puto autem fidem Christi, quæ postea in revelationem venit, in occulto fuisse temporibus patrum nostrorum, per quam tamen etiam ipsi Dei gratia liberati sunt.* Et infra num. 14. *Cum dicit, Apostolus, manifestata est, ostendit quia tunc erat, sed tanquam illa phœnix, quam Gedeon impetravit, tunc velut in vellere occulta, nunc autem velut in area manifestata.* His Augustinus fidem, quam, ut vidimus supra, in utraque lege requirit, nunc ob Evangelii revelationem, exigit manifestam, apertam, *explicitam*. Accedit ratio: etenim in hoc lex nova differt à veteri, quod tunc Christus sub legalium caeremoniarum nube promittebatur, nunc annuntiatur venisse, divinitatem suam comprobasse, ac antiqua varicinia complotte. Ut ergo Judæi sub legis velamine implicitam fidem habebant, ita Christianis Evangelii lumine effuso, fides *explicita* necessaria est.

PROPOSITIO III. Hæc fides non solum ad salutem, sed etiam ad justificationem omnino requiritur. 10.

Probat. Demonstratur primo ex Apostolo ad Galatas ii. 16. *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.* Et ad Hebr. x. 19. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* II. Ex Tridentino sess. 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata ac promissa sunt, atque illud in primis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* III. Ex magno Augustino de Nat. & Grat. cap. 2. num. 2. *Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem, & Sacramentum sanguinis Christi.* Et de peccato Originali cap. 24. num. 28. *Itaque sine ista fide, hoc est, sine fide unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Jesu, sine fide inquam resurrectionis ejus, quam Deus hominibus definivit, quæ utique sine incarnatione ejus ac morte non potest veraciter cerdi: sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justii essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari veritas Christiana non dubitat.* IV. Ex ratione; enimvero si quis abs-

que fide in Chriſtum poteſt juſtificari, poterit etiam ſalvari, quoniam & de juſtificatione & glorificatione idem prorsus tradunt Divinæ literæ ac Patres, fidem in Chriſtum ad unam atque alteram requirentes; & juſtus niſi à gratia excidat, habet arrham promiſſionis, & adoptionem filiorum, ideoque & juſ ad gloriam: quare ſi ſalus eſt ex fide Chriſti; etiam vita, etiam gratia, etiam juſtitia, dicente Apoſtolo, ut redeat, unde proceſſit oratio, *juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti.*

11. **Objeſtio I.** Opp. 1. Neceſſitas fidei in Chriſtum *explicitæ* nequit ex Scripturis evinci, primo quia indifferenter loquuntur tam de juſtis antiqui Teſtamenti, quam de Chriſti fidelibus, & conſequenter ſi illi per fidem in Chriſtum *implicitam* juſtificati ſunt, ſat eſt hæc fides in præſenti quoque ſtatu. Atque idem dicendum eſt de Auguſtino exigente in omnibus juſtificandis cum Apoſtolo *eundem ſpiritum fidei* pro quacunque, ſive vetuſta, ſive nunc labente hominum ætate, ut liquet ex prima propoſitione. Rurſus quia Act. x. 22. Cornelius Centurio dicitur *juſtus, & timens Deum*, nec tamen tunc erat per Apoſtolum Petrum fide in Chriſtum *explicita* imbutus. Deinde Apoſtolus ad Heb. xi. 6. non aliam fidem neceſſariam affirmat, quam in Deum remuneratorem; nam ait: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Non ergo fides ſaltem *implicita* ad juſtificationem neceſſaria eſt.

12. **Solutio.** Ad primum reſpondeo non ſolum Apoſtolum & Auguſtinum agnoſcere unum ſpiritum juſtorum omnium, unam Chriſti fidem, unumque Mediatorem, verum etiam affirmare legem veterem fuiſſe umbram futurorum, & fidem Chriſti tanquam pluviam in vellere, nunc autem manifeſtatam ac revelatam, & quaſi pluviam in area. Quare ſicut ex unitate fidei, Mediatoris, & juſtificantis gratiæ inferitur antiquis juſtis, neceſſariam fuiſſe fidem Chriſti, & gratiam Reparatoris: ita ex utriusque Teſtamenti discrimine in quorum uno latebant, quæ fuerant in altero ſuo tempore revelanda, concluditur fidem olim *implicitam*, nunc apertam & abſque velamine requirendam. Quod ſequitur hac ratione expeditur. Aut Cornelius nondum manifeſtata Evangelii veritate habebat fidem *implicitam*, ut inquit S. Thomas 2. 2. quaſt. 10. art. 4.

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

aut ſi Evangelium jam promulgatum erat, habebat quidem juſticiam operum per gratiam actualem, at non juſtificationem per gratiam *habitualement*, & Spiritum ſanctum inhabitantem. Hoc ſecundum videtur conforme Auguſtino, qui de Prædeſt. SS. cap. vii. num. 12. ait Cornelii acceptas fuiſſe eleemoſynas & exauditas orationes antequam credidiſſet in Chriſtum, *nec tamen ſine aliqua fide orabat, & donabat*: nimirum quia per gratiam moventem & fidem *implicitam* recte operabatur: at nondum fuiſſe juſtificatum affirmat S. Pater verbis ſequentibus: *Sed ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apoſtolus.* Poteſt tamen utraque ſententia ad concordiam revocari, dicendo quod ſicut Cornelius vixit, cum legis fieret translatio, ante promulgationem Evangelii juſtificatus erat per fidem *implicitam*; Evangelio promulgato in juſtitia confirmatus eſt per fidem *explicitam*. Neque enim Auguſtinus ait, *ſi fuiſſet juſtus*, ut legit Aurelius Piette Tom. 111. pag. 293. ſed, *ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus*. Neceſſarium quippe erat ad ſalutem, ut qui per fidem *implicitam* fuerant ante promulgatum Evangelium juſtificati, eo promulgato in ædificium Chriſti per fidem *explicitam* coaptarentur. Ait quidem S. Pater Cornelium juſtificatum ante baptiſmum Quaſt. 84. in Levit. & 33. Num. 9. necnon lib. 1v. contra Donat. cap. 21. num. 28. & cap. 22. num. 29. At ſi putas Cornelium ante Petri prædicationem non fuiſſe ſanctificatum, dicas Auguſtinum loqui de tempore, quo ante ſuſceptum baptiſmum jam fide imbutus erat, & Spiritum ſanctum acceperat, ut legitur Act. x. 44. Si juſtificatum velis, antequam ad Petrum accederet, explicabis Auguſtinum de juſtitia augmento, & de viſibili Spiritus ſancti deſcenſu. Proximum hac ratione diluitur. Aut Apoſtolus illa duo tantum commemorat, quia non agit de fide juſtificante ex toto, ſed nominat quæ poſitiſſimum exſtinarunt antiquos juſtos ad pie Deum colendum, & adverſa toleranda, quod nempe Deum ante oculos haberent, & remunerationem ſperarent: aut ſi exponit fidem quæ ad ſalutem ſufficiat, ea verba *Inquirentibus ſe* etiam fidem Mediatoris comprehendunt, in quantum debemus Deum inquirere iptum orando pro ſalute, pro juſtitia, pro remiſſione peccatorum eo modo & ordine præſtandis, quo ipſi viſum fuerit. Ita in Paulum Eſtius.

Pp

Præ.

13. **Obiectio 2.** Præterea obijcies. Haud credibile est, Deum, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, damnaturum eos, qui legem naturalem servantes nequeunt audire Evangelium, laborantque mysteriorum fidei ignorantia invincibili. Ob quam enim culpam inter barbaros degentem, honestamque ducentem vitam justus & misericors Dominus deseret? Sane, etsi Evangelium per universum orbem dicitur annuntiatum, non defunt tamen juxta Augustinum de Nat. & Grat. cap. 2. *ultima gentes, licet, ut perhibetur, paucissima*, ad quas nondum Christi nomen pervenit. Hanc Augustini opinionem, quamvis ei dissentiant nonnulli, comprobant remotissima à nobis gentes adhuc magna ex parte Christianam fidem penitus ignorantes. Saltem iis sufficiens erit fides *implicita*, aut in animi præparatione; nam si credentibus sat est baptismus in voto, quando re ipsa applicari non potest: cur facientibus quod in se est non erit sufficiens fidei votum ac desiderium, quando *explicita* fides nequit haberi? Postremo si puer baptismate regeneratus derelinquatur in sylvis, aut mutus ac surdus sit, neque Evangelium perveniens ad usum rationis valeat audire, nonne saltem iste Christi sacramento expiatus, & ornatus inhiærente justitia salutem consequetur? Non est ergo fides in Christum *explicita* adeo necessaria, ut in aliquo saltem casu nequeat sine hujusmodi fide haberi justitia, regnumque celorum.

14. **Solutio.** Resp. Non sufficere ad salutem, si quis naturalem legem non frangat, quamquam & id absque gratia actuali, & aliqua in Christum fide, juxta sententiam nostram alibi confirmatam fieri non possit, ut oportet, & omnium consensu fieri non possit, ut sufficiat ad justificationem. Enimvero, si de lege, quam accepit gens una Judæorum ait Apostolus (ad Galatas 11. 21.) Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est, quanto justius dicetur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum? inquit Augustinus cit. cap. 11. De Nat. & Grat. num. 2. Vult quidem Deus salutem hominum universorum; sed non voluntate absoluta, efficaci, & ut inquirunt, consequente. Hæc ad solos spectat prædestinatos. Ac per hoc, ait S. Pater de Corrept. & Grat. cap. 7. num. 11. *Et qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est, in eum credere no-*

luerunt, quoniam ipse dicit. Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à patre meo: Et qui per ætatem parvulam non credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Barbaræ ergo gentes reprobatae propter originale peccatum justo Dei judicio in massa perditionis derelinquantur, nec tamen damnantur ob ignorantiam invincibilem Christianæ fidei, sed vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis, ut ex ipso met Augustino dixi pag. 161. Quod si gentes illæ sint ab originali damnatione Divinæ gratiæ largitate discretæ, Non est dubium quod & procuratur eis audendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant: inquit idem S. Pater citato cap. vii. num. 13. Ex his liquet quid dicendum sit de puero. Si post baptismum ad usum rationis perveniat, nec Deum voluntaria transgressione deserat, ei Evangelium annuntiabitur aut ab homine, aut ab Angelo, aut per intimam divinamque inspirationem. Ostendit enim Deus in Cornelio, in spadone Regiæ Candacis, & in Macedone, quem vidit per noctem Paulus Act. xvi. 9. quantam electorum suorum curam gerat. Si decedat ante rationis usum, aut suscipiendæ prædicationis sit incapax, salvabitur per Sacramentum regenerationis: in quo, vi sacramenti & Divinæ gratiæ, quam Dominus donavit Ecclesiæ, dum parvuli fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, constituuntur fideles, & eorum per quos renascuntur justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt, sicut eorum, per quos nascuntur caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Vide Augustinum de peccatorum meritis lib. 1. cap. 19. num. 25. & lib. 111. cap. 2. num. 2. Quid vero, si ad gratiam baptismi non perveniant? Jam audisti sanctum Parentem: Non sunt ab illa conspersione discreti.

At enim, inquis, sufficit baptismus in voto: ergo sufficit fides *explicita* in voto. Non video hujus consequentiæ æquitatem. Principio, in ipso voto baptismatis est fides in Christum *explicita*; nemo enim cupit baptizari, nisi ut conspultus cum Christo ipsius justitiâ vivificetur. Deinde fides in voto est fides *expli-*

15. *Instantia & Solutio.*

explicita, quæ enim non creduntur, nec deſiderantur; ſicut non deſiderantur baptiſmus, niſi crederetur ipſius neceſſitas & efficacia. Præterea ſuſceptio baptiſmatis, cum ſit actus à voluntate *imperatus*, & exercendus extrinſecis adjumentis, poteſt abſque voluntatis culpa impediri, ſecus fides, cum ſit actus *elicitus*, ſi quis velit credere, nequit ab aliqua exteriori cauſa à fidelium corde amoveri. Prætermitto vulgarem objectionem deiſ, qui abſque fide *explicita* Deum ſuper omnia diligere. Sententia enim noſtra, ut diximus lib. XIII. cap. 4. *hæc dilectio eſt à Deo Patre per Jeſum Chriſtum in Spiritu ſancto*. Imo & ii, qui docent poſſe ſine gratia Chriſti diligere Deum tantum auctorem naturæ, fatentur quod diligere nequeat ut auctor gratiæ abſque ordine ad Chriſtum, & ſine ipſius gratiæ largitate, ita ut dilectio ſine fide non poſſit ad juſtificationem ſufficere. Addo tantum pro hujus quaſtionis corronide, Sanctum Franciſcum Xaverium percontanti Japoniæ Regi cur illuc acceſſiſſet, hoc dediſſe reſponſum, eò ſe miſſum *Divinæ legis prædicandæ gratia*, quippe cum nemo, quin Deum ejusque

filium Jeſum Chriſtum omnium gentium vindicem ac Salvatorem caſte, pieque coleret, ſalvus atque incolumis eſſe non poſſet. Ita Indorum Apoſtolus Epist. 7. libri III. ab Horatio Turſellino latine reddita, pag. edit. Rom. 115. Revera ſi abſque fide in Chriſtum qui Evangelium non audierunt ſalutem conſequi poſſunt, cur Xaverius Japoniam, cur è noſtris Didacus Ortiz, Joannes Ximenes, Eſtathius, alique Mexicanam ac Peruanam, & regiones reliquas barbarorum incultiſſimas ac remotiſſimas, Apoſtolorum exemplo, adierunt? Jure itaque Facultas Lovaniensis vetuit ne edoceatur in hoc ſtatu fidem *explicitam de Deo Trino, & Salvatore Chriſto Jeſu non eſſe ita neceſſariam, ut ſine tali fide non poſſit obtineri ſalus*, ut reſert in Theſibus Lovaniensis anni 1721. Antonius Rolliers. Jure Innocentius XI. declaravit prop. 64. non eſſe capacem abſolutionis qui ignorat ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis myſteria. Jure denique Eccleſia in Symbolo, quod tribuitur Athanaſio, iſdem myſteriis expoſitis inquit: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quisque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*.

CAPUT VIII.

De externa Fidei Confessione.

SUMMARIUM.

1. Propositio I.
2. Probatur.
3. Solutiones obiectionum.
4. Propositio 2. Probatur.
5. Quando deitur ſuperſtitio, quando civilis tantum conſuetudo.

6. Probatur, Chriſtianum poſſe perſecutores ſuagere.
7. Probatur, illicitum eſſe fugere, ſi cauſa fidei aut ſalus chriſtiana periclitatur.
8. Obiectiones ſolvuntur.

DIXIMUS de interno fidei actu, nunc de externo dicendum eſt: atque inquirendum primo an liceat fidem negare; deinde an ſaltem fides diſſimulari poſſit ſervando infidelium ritus, & conſuetudines: tertio an Tyranno interroganti fas ſit fidem occultare; poſtremo an liceat in perſecutione fugam arripere. Omnia hæc uno capite expediemus: nam libro Viceſimo cap. x. agentes de ſimulatione in ſervandis legalibus omnia fere argumenta diluimus.

PROPOSITIO I. Nunquam licitum eſt negare fidem.

- I.** Eſt hæc theſis contra Elceſaitas, qui
Propoſitio 1. apud Eusebium lib. VI. H. E. cap. 38. & S. Patrem Auguſtinum de Hæreſ. h. XXXI. docuerunt fidem in perſecutione negandam ore, & corde ſervandam: contra Præſcillianistas, qui apud eundem Auguſtinum h. LXX. propter occultandas

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

contaminationes & turpitudines ſuas habebant in dogmatibus ea verba,

Jura, per jura, ſecretum proderenoli;

& contra Georgium David Anabaptiſtam, Angloſque Libertinos.

Probatur I. ex Scripturis. Ait enim Apoſtolus ad Rom. x. *Corda creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio ſit ad ſalutem*. Oris ergo confeſſio neceſſaria eſt. Quo autem tempore, niſi eo potiſſimum, cum interrogante Tyranno, atque de religione percontanti debemus fidem noſtram proſiteri, & aperta confeſſione Chriſto debitum obſequium reddere? Deinde cur Salvator nos tam ardenti oratione Mat. x. hortatur, ut imitemur prudentiam *ſerpentis*, id eſt Capitis noſtri tueamur honorem, etiam ſi corpus nobis dilanietur? Cur ait, *Noliſte timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt*

2.
 Probatur ex
 S. Scriptura.

Pp 2

ſunt